

Πg  
229





II 9  
229

DE  
**GRATIS DISCIPVLIS**  
 DISSERTATIVNCVLA,  
 QVA  
 NOVOS LABORES  
 IN  
 GYMNASIO PORTENSI  
 HOC, FINIENDO PROPEDIEM, ET SEQVENTI  
 ANNO  
 SVSCIPIENDOS  
 DEFINIT  
 M. JOANNES DAVID SCHREBER,  
 RECTOR.

NVMBVRGI,

Typis BALTH. BOSSOEGELII, Privil. Typogr.



Epistola d. 19. Feb. 1623.  
exarata, quæ exstat  
in Struvii Actis liti-  
rar. T. II. p. 93.



A. Ω.

Vid. Buddeus de com-  
paratione obligatio-  
num §. 24. f. in Sele-  
ctis naturæ & gen-  
tium p. 703. f.

d. I. §. 27. p. 706.

Unt digna memoratu verba, quibus gratam mentem suam erga Justinum Pertuchium, a quo in hac schola nostra institutus fuerat, Augustus Buchnerus declarat, ita Viteberga inter alia scribens: *Ceterum velim tibi persuadeas, sanctissimam apud me esse tuam memoriam, meque corpus & vitam ante depositurum, quam tui amorem.* Bono animo se accepisse beneficium in se collatum vir ostendit ita, fama & meritis celeberrimus, omni contendens studio, ne, qui dederat, dati illum poeniteret. Qui docent alios nimirum, instituuntque, & ad omne officii instruunt manus, benigne his faciunt profecto, atque optime de ipsis merentes, suo eos habent obligatos sibi beneficio, & ad gratum animum declarandum obstrictos. Quod dum uno ore omnes virtutum fatentur doctores, non quoscunque tamen præceptores hoc officiorum genus a discipulis exigere posse probant, cum & multi istorum sint, qui docent ineptias, ac parum profutura, & longa suos tamen morantur ambage, neque dexteritate ea ac fideli opera discenda tradunt, qua debebant; sed eos vero unice, qui bonis artibus floridam imbuunt ætatem, ac, ubi linguas eidem notas reddiderunt, tanquam instrumenta, quibus doctrina omnis atque eruditio acquiritur, id digna laude contentione agunt, ut quos formandos fingendosque acceperunt, non ea magis, quæ ad intellectum perficiendum comparata sunt, discant, quam quibus emendatio fiat voluntas, & animi, excultis ad humanitatem moribus, mitigentur. Hos vero, non maligne, quæ sciunt, dispensantes, sed benigna & familiari voluntate salutaria quævis impertientes, Parentum etiam ormandos putant elogio, nisi quod tamen, præter beneficia, quæ procreatis a se parentes liberaliter eos tribuunt educando, sanguinis communio & propinquitatis nexus ætiori vinculo his liberos, quam præceptoribus discipulos colligat, quicquid voluerint antiqui ævi quidam sapientes, qui præferre hos illis sustinuerunt, & quicquid in scholis magistri interdum clamitent, qui, dum sibi commissos suis parum juvant etiam doctrinis, venerationem tamen exigunt singularem, dicta sua omnia cæca obedientia excipi, & per omnia se ad parentum instar coli volunt, quod Scholastici imperii arcanum excellentissimum Jenensium Theologus Buddeus vocat. Devinctos semet ergo præclaris beneficiis suis facti magistris, & gratorum discipulorum tui sunt nomen, quibus mens fuit rector, & iusta aestimatione metiendis aliorum meritis valida, cumque gratæ voluntatis significationem vel recordando identidem accepta beneficia, vel ore demus eadem

dem praedicando, vel ipsa re nostram declarando pietatem, qua potuerunt ratione, officio suo satisfecerunt. Primo inter hos loco ponitur Alexander M. qui Aristotelem non secus charum habuit, quam parentem, quod, ut ipse dicitur, huius beneficio viveret, illius viveret honeste. Adjungi huic Aeschines debet, non orator ille Adrometi, sed Lisaniae filius, dialogorum Scriptor, qui *pauper Socratis auditor, cum multa multi pro suis facultatibus offerrent: nihil, inquit, dignum, quod dare tibi possim, invenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, me ipsum. Hoc munus rogo, qualecunque est, boni consulas, cogitesque alios cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Non totum se huius exemplo Octavianus Augustus permittebat Athenodoro, sed ejus patriae tamen, Tarso, beneficium conferebat eximium, cum, quod apud Lucianum legimus, vestigilibus levaret civitatem. Est haec Caesaris Augusti digna profecto laude benignitas, sed nihilo commendandum minus Juliani erga Jonem Philosophum, Magistrum suum, studium, quem ex Jonia accitum, cum in Senatu forte agens, audiret adventare, ex medio Senatorum exiliens ad vestibulum currit, & amplexus hominem osculatusque in curiam induxit, & dextra manu eidem concessa post aliquam in curia commorationem cum ipso abiit. Habemus alia summorum Principum amoris ejusmodi exempla, ut qui ab Alexandro Severo ita dilectum fuisse Vlpianum legimus, cujus eruditus fuerat institutione, ut Parentis etiam ornaverit eum nomine, quem, quod Lampridius testatur, saepe a militum ira objectu purpurae summae defendit, *summus, ita pergit, Imperator, quod ejus consilii praecipue rempublicam rexerat.* Ac nostra hac aetate Paulo Sperlingio, Doctore & Professore Theologiae in Academia Kiloniensi, id inter alia laudi datum fuit, quod, ut Morhofius refert, Serenissimus Luneburgensium Princeps Augustus filium natu maximum Rudolphum Augustum ipsi commiserit instituendum, atque in literis, quibus ad munus illud sua ipsum manu evocabat, magnifico Aristotelis cognomine eum cohonestavit, cujus erga se fidem Rudolphus deinde Augustus, ad reipublicae gubernacula admotus, gratus praedicavit, & in literis, quas ad ipsum dedit, *infra principale illud fastigium depressas, virum de se optime meritum, adeoque usque charissimum, & ab antiqua educatione suum appellavit, & memoriali sententia, quae annum scriptae Epistolae MDCLXIX continebat, obsignavit: Deo & bonis praecceptoribus non potest reddi aequivaLens.* Quae fidem faciunt nobis, non minoris a Rudolpho Augusto hunc suum praecceptorem fuisse aestimatum, quam a Joachimo olim & Georgio, Principibus Anhaltinis, quod in Georgii

*Plutarch. in vita Alexandri T. VI. p. 126. edit. Steph.*

*Seneca de benef. l. 3.*

*In Macrobitii T. II. p. m. 829.*

*Vid. Libanius Parentat. in Julianum Oratione (quam primus edidit Fabricius in Bibliotheca Graeca V. 9. p. 223. f.) d.l. p. 301.*

*l. 4. C. de locato.*

*In Alexandro Severo c. 51.*

*In Program. ad exequias Sperlingii innotator. Oration. & Program. p. 717, 718.*



p. 12. edit. Lipsienf. hujus Vita Joachimus testatur Camerarius, de se, qui & ipse Helti profecerat doctrinis, hoc inter alia memori beneficiorum animo scribens: Cui (Helto) & ego puer erudiendus traditus hoc inter ea, quae in mea vita feliciter mihi acciderunt, praecipuo loco ponendum duco, contigisse meae pueritiae talem Magistrum, & alterum plane parentem. Non enim ille, si ipsius filius essem, aut custodire etatem meam diligentius, aut tradere praecepta honestatis & bonarum artium fidelius potuisset. Quo amoris affectu paria cum Camerario fecit su-

De Fontenelle in libro: Histoire du renouvellement de l'Académie Royale p. 55.

Vid. Institutionis literariae T. Imun Sturmianum p. 33.

In vita Pythagorae c. 19.

pag. 17.

periori seculo Vincentius Viviani, qui, Mathematicarum artium, & Geometriae maxime, callentissimus, ita doctorem suum Galilaeum Galilaei coluit, ut non modo, cum aetate senili coecus esset factus, Lectoris apud ipsum functus munere; sed etiam, ubicunque suum nomen scriberet, Galilaei se professus una sit discipulum. Neque injicienda non Jo. Sturmii, Viri summi & meritis incliti, qui primus Alsatiae literarum lumen attulit, hic est mentio, qui in classicis, quas vocat, Epistolis de illis praeceptoribus sermonem faciens, qui pueros prima docent elementa, incredibile esse, addit, quam bene fundata sit memoria in homine studioso acceptorum beneficiorum hisce primis vitae annis & primos deinde Magistros suos Jo. Neoburgium, Jacobum Blomedalium, Antonium Dalberum amare se eximie; Apoldum vero Einatensem, quem Leodii audiverat, adhuc sibi in medullis ac visceribus haerere fatetur. Non substitit vero intra bonae mentis testificationem bonorum discipulorum studium, sed reperti sunt haut raro, qui remunerandorum beneficiorum inierunt rationem, id agentes videlicet, ne suae expertes essent liberalitatis, quorum in senet instituendis experti fuerant industriam. Accensendus his Abaris est, Scytharum ad Athenienses legatus, qui Praeceptorum Pythagorae auream illam sagittam, cujus ope mira faciebat, & absque navi maria, immo per aërem quoque, transibat, si Jamblichus credimus, donavit. Jucundum lectu est in vita Petri Junii, quam cum aliis eruditorum & illustrium virorum vitis Thomas Smith ante annos hos viginti edidit, quam suavi propensae animi voluntatis indicio Jacobus I. M. Britanniae Rex sua opera, in unum volumen collecta, ad ipsum miserit, haec sua manu dono isti inscribens: *Jacobus Dei gratia M. Britanniae, Franciae & Hiberniae Rex, Fidei Defensor Cl. V. Petro Junio a Setoun Equiti aurato, Consiliario & Eleemosynario suo pro regno Scotiae hoc operum suorum Systema L. M. Q. offert, charissimo Praeceptorum gratius discipulus, memor formate ab illo adolescentiae suae ad virtutis & literarum studia, quae quantopere ex eo amaverit, librum hunc, sui profectus indicem, & testem, mittit, bonorum, ut sperat, debitorum more, qui serena fronte gra-*

gratoque animo sortem fœnore multiplicatam creditoribus restitunt. *Greenvici XI. Calend. Jun. MDCXX.* Hæc dum legimus, non aliam Jacobo mentem fuisse intelligimus facile, quam quæ Jctis olim jam fuit, non tam donationes appellari debere existimantibus, quam remunerationes, quæ in Magistros suos conferunt discipuli. Ita enim Papinianus, cuius verba, cum Aquilium Regulum gratis adjungant, hic puto adducenda: *Aquilium Regulus Juvenis ad Nicostratum ita scripsit: Quoniam & cum Patre meo semper fuisti, & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidisti, dono & permitto tibi habitare in isto conaculo, eoque uti. Defuncto Regulo controversiam patiebatur Nicostratus, & cum de ea re mecum contulisset, dixi posse defendi, non meram donationem esse, verum officium; Magistri quadam mercede remuneratum Regulum; ideoque non videri donationem sequentis temporis irritam esse.* Non conaculum habitandum concesserunt, ut Nicostrato Aquilius Regulus; sed Masurii Sabini egestatem suis sumptibus sustentarunt discipuli; sicut, quod Andreas Jocius in Oratione de Vita & Obitu Jo. Oporini testatur, Lazarus Schvvendius hunc Præceptorem suum, fatalibus ærumnis tantum non oppressum, non semel sublevavit, & Georgii a Steten par in eum fuit liberalitas. Sed haud paullo luculentius suam in referenda gratia testati sunt pietatem, qui ad honores evexerunt, quos Magistros habuerant, & sæpe amplissimis dignitatibus curarunt ornandos. Ita Otto III. Imperator omne studium suum eo contulit, ut Gerebertus Ravennatium Archi-Episcopus, finiente Seculo decimo, Pontifex maximus eligeretur, cujus exemplum Carolus V. imitatus est, de colendo Hadriano, præceptore suo, cum primis sollicitus, quippe quem non modo, ex Hispania discedens, regno cum imperio præfecit; sed in Pontificiam etiam sedem non longe post sua extulit auctoritate. Alia ratione alii gratam mentem erga bene de se meritos declararunt, quando memoriam ipsorum tradentes posteris, quæ digna fecerunt laude, libris sunt complexi. Georgium Fabricium hic par est prae multis aliis laudare, qui Præceptoris sui Jo. Rivii Vitam pia Commentatione exposuit, operibus ejus Theologicis, Basileae a. 1561. evulgatis, præmissa; ad cujus exemplum Jo. Glandorpii Reinerus Reineccius, Justi Lipsii Aubertus Miræus, Galilæi supra laudatus Viviani, Christiani Weiffii Samuel Grosserus, alii aliorum, discipuli omnes, beneficiorum memores, suorum Magistrorum exposuerunt virtutes. Jungi his debent Lucas Bacmeisterus, qui Lucae Lossii, Daniel Heinsius, qui Josephi Scaligeri, Adolphus Vorstius, qui Petri Cunæi laudes, habitis post mortem eorum orationibus, celebrarunt; vivusque adhucdum Christianus Feustelius, qui

*l. 27. ff. de donatione.*

*l. 2. §. 47. ff. de origine Juris.*

*Vid. vitæ a Gryphio collectas p. 68, 69.*

*Baronius Annal. T.X. ad a. 999.*

*Jovius in vita Hadriani pag. 120. edit. Florent.*

Mabilon Itiner. Ital.  
P. I, p. 131.

Ludovicus in Historia  
Scholar. P. II. p. 217.

d. I. P. III. p. 14.

in Vita Antonini c. 2.

V. H. III, 19.

Vid. Seruu. in Biblio-  
theca antiqua a. 1795.  
p. 448.

In libro: les hommes  
illustres T. I. p. m. 53.

pag. 43.

pag. 45.

Christiani Daumii memoriae, concinnata proluxa Inscriptio-  
ne, consuluit; neque Guarinus non Veronenfis, qui Epistolas in  
Præceptoris, Emanuelis Chrysoloræ, laudem collegit scriptas.  
Præter quos intentiori adhuc studio *Ἐπειθήγεια* sua solverunt,  
Fridericus Taubmannus, qui Præceptoris suo Jo. Hertelio,  
Gymnasii Heilsbrunnensis Rectori, quotannis parentare in-  
stituit, & Christianus Daumius, qui Jo. Zechendorffii natalem  
singulis annis carmine solitus fuit celebrare. Omnes hi re-  
tinendae doctorum suorum intenti memoriae, sed alia ratio-  
ne Frontonis sui M. Antoninus Philosophos fuit, qui sicut  
omnibus Magistris, *ut disciplinarum auctoribus plurimum*  
*detulit*, quod Capitolinus testatur, & *Proculum usque ad*  
*Proconsulatum provexit*: ita Frontoni statuum in Senatu le-  
gitur petiisse. Novo quodam modo pietatem suam demon-  
strarunt, qui vocatos in discrimen vel vitae, vel fortunarum,  
Præceptores suos tuiti sunt, & eorum se praebuerunt propu-  
gnatores, quo nomine apud Ælianum laudatur Xenocrates,  
quod Platonem Aristotelis iniuriis e Peripato discedere coactū,  
e patria redux in consuetum restituerit locum. Lambertum  
Hortensium dum urbs Nardena, ductu Friderici Toletani  
a. 1572. occupata, ab Hispanis diripitur, in maximum pericu-  
lum adductum, & furioli militis jugulandum ferro, Levinus  
Weldanus, gratus discipulus, adscito Johanne Castiliano,  
cohortis Neopolitanae ductore, liberavit, cui Hortensius  
deinde Lucianum, Basileæ a. 1578. excusum, dedicavit, cer-  
tum promeriti istius testem, quod in Vitae Hortensii descri-  
ptione Lappius annotavit. Sic Henricus Vice-Comes Tu-  
rennius cum Præceptorem aliquando, qui poenam ipsi erat  
irrogaturus, gladio esset aggressus, Patris jussu gravi ideo  
coërcitus animadversione, susceptam ita maculam ut dele-  
ret, dormientis istius postea & a serpente petiti, stricto in hunc  
gladio, servavit vitam, quod a Perralto legimus relatum. E-  
didit Clarissimus Vir, Hadrianus Relandus Enchiridion Studi-  
osi, a Borhaneddino Alzernouchi Arabice scriptum, in quo Ali,  
Doctoris celeberrimi, refertur sententia, servum illius se pro-  
fitentis, a quo unam didicerat literam, & doctori pro una lite-  
ra mille drachmas deberi judicantis, atque non solum Prae-  
ceptorum, sed ejus etiam liberos, honorandos esse praecipien-  
tis. Eodem loco factum memoratur doctoris cuiusdam maxi-  
me celebris, qui suos aliquando instituens saepe surrexit, & in  
terrogatus, cui hunc tribueret honorem, sui præceptoris filium,  
respondit, cum pueris ludere in platea, & subinde ad januam  
templi, in quo docebat, venire, seque ipsum conspectum ita  
honore, ut debitam Praeceptoris delectet venerationem.  
Foret locus nunc eos hic laudandi discipulos, qui grati animi  
significationem in liberis praceptorum ornandis provehen-  
dis.



disque ad honesta dederunt munera, quorum exemplorum enumerationem cum primis esset mihi jucunda; sed quicquid est praefamini huius, longius jam producti, finiendum omnino, & illa ad aliud differenda, est tempus. Ipsa nimirum laborum nostrorum, qui ad novum jam institutionis orbem pertinent, hujus Scholae Alumnis, inter quos gratos plurimos, nonnullos vero ingratos, etiam experimur, ut nunquam non sumus experti, describenda est ratio. Nimirum:

**M. IO. DAVID SCHREBER**, *Rector*, diebus Dominicis, hora matutina sacris tribuenda laboribus, Historiam Ecclesiasticam ad Rechenbergii ductum tradet; Logicam denuo inchoandam exemplis e Geographia petitis illustrabit; ad Rhetoricam, intra anni spatium iterum absolvendam, Schematologiam accuratorem, ut adhuc factum est, adiunget, similiterque Officiorum hominis rationem per vices exponere perget; pomeridianis vero horis in explicandis applicandisque selectis e Livio orationibus, & historiae recentioris versabitur repetitione; privatim ad Historiam Saxoniam rediturus, neque illustranda non e Novellis collecturis, & e Vitis eruditorum Virorum insuper excerpta.

**CHRISTOPH CONRAD BESSER**, *Pastor Ecclesiae Portensis, & vicinarum Inspector*, novas Lectiones Theologicas cum articulo de Sacramentis inchoabit, & sacras fidei nostrae materias fideliter ita porro persequetur, ut ad libros etiam Symbolicos una respiciat, & eorum sensus auditoribus reddat notos.

**M. SIGISMUNDUS SCHRAMMIUS**, *Conrector*, in sacris suis lectionibus, tertia quaque die Dominica habendis, primam S. Johannis Epistolam, quam brevissime fieri poterit, explicabit, & ad salutares usus singulos aphorismos applicare perget. Logica Rhetoricaque praecipua ea, qua adhuc solitus fuit, ratione Alumnis secundae classis adscriptis tradet, & illa quidem historia Romanae deliciis ex Eutropii Breviario condiet; horum vero auditores diligenter declamando exercendos curabit. Horas pomeridianas selectis M. T. Ciceronis Orationibus, & P. Terentii Comaediis interpretandis, studioque Geographiae impendet. In prima autem classe post absolutum ultimum Herodiani librum, in quo enarrando nunc elaborat, Hesiodi, Poetae elegantissimi *ἔργα καὶ ἡθικά* explanare incipiet.

**M. FRIDERIC. GOTTHILF. FRETTAG**, *Collega III*, publice primae classis alumnis linguae Hebraicae praecipua, & Geographiam, quam vocant, historicam tradet, atque Horatii Odas enucleabit; secundae classis alumnis Theophrasti characteres, Ciceronis epistolas, & Ovidii Metamorphosin interpretabitur; privatim in historia perget litteraria.

**SALOMON HENTSCHELIVS**, *Collega & Cantor*, in lectionibus publicis praeter Nepotis vitas, Phædri fabulas, minoresque Ciceronis epistolas, Superiorum permisso, Christophori nunc Cellarii praecipua Grammatica, & breviaria Schmidianis & planiora, propediem explicabit, adscriptisque primo secundae classis ordini alumnis in Hebraicis, quae de nomine, pronomine, & verbo sunt observanda, solerter tradet. Porro Orthographiam non minori industria, atque Etymologiam & Syntaxin adhuc expositas, vernaculae cultores docebit, nec his, quibus literae Hebraicae curae sunt cordique, privatam suam denegabit operam.

**M. IO. CHRISTIAN WEIDNER**, *Collega Extraord.* in Compendii Hutteriani Explicatione & Applicatione pervenit usque ad Locum X. de Legge Dei; Epistolam Pauli ad Rom. in Novo Testamento Graeco pertractavit usque Cap. XIII. & sic pergendo finiet; Fabricii Historias 320. absolvit, in iisdem B. C. D. ea qua decet sedulitate pertracturus.

**IO. GEORG. GOTTHELFF Hübisch**, *Collega & Mathematicus*, explicabit publice auditoribus primae classis Trigonometriam planam; mediae classis Praedictam, quam vulgo dicunt, Italicam, sive compendia Arithmeticae vulgaris; ultimae classis numeros fractos: privatim Gnomonicam; privatissime Historiam literariam Mathematicos, Opticam technicam, Elementa Arithmeticae, Artem delineandi.

Sequen-

PK Tg 229

Sequentes, finito nunc anno, a nobis cum bonis appreciationibus dimissi una reliquerunt hic specimina dicenda:

- d. 30. Septembr. a. 1726. Christianus Gottlob Hartmannus, Delicianus Mifn. de Triga Delicianorum doctrina & eruditione illustri.
- d. 4. Novembr. - - Jo. Fridericus Leifnerus, Marienavienf. Varife. de *ὁριζωνισμῶν* eruditorum.
- d. 13. Novembr. - - Godofredus Fridericus Otro, Lipsienf. Mifn. de laude Martini Friderici Frifii, Professoris Lipsienf. Latino Carmine.
- d. 3. Martii. a. 1727. Jo. Bernhardus Walkherus, Pegavienf. Mifn. de laudibus Jo. Schilteri, I.Cri.
- d. 20. Martii - - - Jo. Samuel Laemmelius, Muhlbergenf. de studio venationis magni semper estimato.
- d. 24. Martii - - - Jo. Godofredus Uchnerus, Haynenf. de Caspare Bornero, Lipsienf. Theologo.
- - - - - Jo. Godofredus Schwenckius, Vitebergenf. de Abrahamo Ortelio, Geographo.
- d. 7. April - - - David Gottlob Mœrbizius, Doebelenf. de morte Principum violenta.
- d. 8. April - - - Henricus Louchtius, Pachenf. Mifn. de laudibus Perillustriſis Domini Henrici de Bünaa, Dynaſtæ Pachenſis &c.
- - - - - Christianus Henricus de Stein, Eques Varifeus, de Circulo Neoftadienf.
- d. 21. April - - - Jonas Melchior Schmidt, Fluhrſtadienf. Thuringus, de Philoſophorum *οὐδεὶς ἀγνοῖ*.
- d. 23. April - - - Auguſtus Chriſtianus Petermannus, Delicianus Mifn. de impavido viri juſti animo.
- - - - - Chriſtianus Fridericus Petermannus, Delicianus Mifn. de laude Juſtitiae.
- d. 28. April - - - Jo. Chriſtianus Vogelius, Longoſalkienf. Thuringus, de bello Schulenburgiorum Ducatu, Carmine Latino.
- d. 5. Maji - - - Jo. Ludovicus Hœpnerus, Dresdenf. Mifn. de Aquila majorum rerum auſpice.
- d. 8. Maji - - - Jo. Andreas Kramerus, Günftadienf. Thuring. de tribus funeribus perilluſtris domus Seebachianae.
- d. 11. Maji - - - Henricus Alexander de Eichſtaedt, Eques Miſnicus, de antiquitate & dignitate illuſtris gentis Eichſtadianae.
- d. 23. Junii - - - Michael Jahnus, Friburgenf. de Recitationibus veterum.
- d. 25. Junii - - - Friedlieb Sigifmundus Schlegelius, Waldheimenf. de nexu litterarum humaniorum cum ſtudio legum.
- d. 30. Julii - - - Jo. Tobias Cræſo, Thomaepont. Thuringus, de laudibus Catharinae Magnae Ruſſorum Imperatricis.
- d. 1. Auguſt. - - - Henricus Antonius Sauerbrunn, Weiſſenfeenf. de laudibus Ægidii Gutbirii, Professoris Hamburgienſis.
- d. 4. Auguſt. - - - Ludovicus Fridericus Wiglebius, Gebelenf. Thuring. de Peregrinationibus veterum Romanorum, literarum cauſa in Graciam ſuſceptis.
- d. 14. Auguſt. - - - Gottlob Sigifmundus Heiderus, Portenf. de laudibus Georgii I. Magnae Britanniae Regis.
- d. 28. Auguſt. - - - Polycarpus Lyferus, Numburgenf. de incrementis ac ornamentis Scholae Portenſis.
- d. 1. Septembr. - - - Daniel Andreas Geyerus, Brettenenf. Saxo, de laudibus Georgii I. Magnae Britanniae Regis, Carmine Graeco.
- d. 3. Septembr. - - - Jo. Gottlob Ranſtius, Goſſenf. Miſnicus, de hominibus tenuioris fortis ad magnos honores eveſtis.
- d. 8. Septembr. - - - Jo. Chriſtianus Siegelius, Mariæbergenf. de fatiſ Mariæbergenſibus.
- - - - - Chriſtianus Godofredus Nichtewizius, Lipf. de laudib. Livii.
- - - - - Chriſtianus Gottlob Fleiſcherus, Tſchopavenf. de laudibus Friderici II, Ducis Saxo-Gothani.
- d. 23. Septembr. - - - Chriſtianus Lebrecht Wanckelius, Liebenavienf. Mifn. da Praemiis Poëtarum.

P. P. prid. F. Michaëlis a. Salutaris CHRISTI  
Nativitatis M DCC XXVII.

\* \* \*

nc

ULB Halle

3

004.375 769



*Winf*





FK133  
105

II 9  
229

DE  
GRATIS DISCIPVLIS  
DISSERTATIVNCVLA,

*QVA*  
NOVOS LABORES  
IN  
NASIO PORTENSI  
DO PROPEDIEM, ET SEQVENTI  
ANNO  
SVSCIPIENDOS  
DEFINIT  
NES DAVID SCHREBER,  
RECTOR.

NVMBVRGI,  
L. TH. BOSSOEGELII, Privil. Typogr.

